MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80467-27

AUTHOR:

SCHNEIDEWIND, E. T.

TITLE:

DE CASUS LOCATIVI...

PLACE:

HALAE

DATE:

[1863]

Master Negative #

92-80467-27

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schneidewind, Edmund Theodor, 1839-
De casus locativi vestigiis apud Homerum atque Hesiodum. Dissertatio inauguralis philologica quam ... publice defendet auctor Edmund Theodorus Schneidewind ... Halae, formis Hendeliis. [1863]
36 p. 22 cm.

Thesis, Halle, 1863.

Volume of pamphlets

375404

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS MARCE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

CASUS LOCATIVI VESTIGIIS
APUD HOMERUM ATQUE HESIODUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVI. M. MARTII MDCCCLXIII
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

EDMUND THEODORUS SCHNEIDEWIND
SANGERHUSANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
CAROLUS MYLIUS, CAND. IUR.
ADALBERTUS ROSENBAUM, STUD. THEOL.

HALÆ
FORMIS HENDELIIS.

PATRI

OPTIMO CARISSIMO

SACRUM.

PRAEFATIO.

De propriis principalibusque casuum significationibus recte definiendis quum aliarum antiquarum tum Graecae linguae inter viros doctos magna dissensio semper fuit. Quum enim alii singulorum significationes quasi ex sola cogitatione humana repetere voluerint atque vera et propria cujusque vi rationes quasdam, quae nisi mente comprehendi non possent, denotari statuerint, alii ita contra dixerunt, ut principalem casuum vim ex solis loci rationibus explicandam esse vehementer contenderent. At vero quod hi, in quibus potissimum Hartungius et Wüllnerus[1] nominandi sunt, voluerunt maximoque opere comprobare studuerunt, linguae tres tantummodo casus esse obliquos, quorum significationes ex solis notionibus loci ducendae essent, quum id ad antiquissima quidem tempora et quasi incunabula generis humani ejusque linguae valere negari vix possit, ad illum tamen gradum multo cultiorem, quem Graecorum linguam assecutam videmus, nullo modo referri debet. Quemadmodum enim fieri solet, ut homines, quum rudes necdum ad certum quendam humanitatis statum provecti sint, etiam orationem suam ad naturae, quae ante oculos versantur, res accommodent et iccirco notionum vocumque copiam quodammodo extrin-

[1] A. Hartung. Ueber die Casus, ihre Bildung und Bedeutung in der griechischen und lateinischen Sprache.
Fr. Wüllner. Bedeutung der sprachlichen Casus und Modi.

secus tantum sibi assumant, sic primo illo et infimo cultus gradu superato mox ratio et mens humana majorem vim sibi vindicant efficiuntque, ut homo notionum recens conceptarum nomina magis ex animo et cogitatione, quam ex natura sibi repetere soleat. Itaque illorum, quos significavi, virorum ratio et doctrina, ex qua omnes linguae Graecae casus obliquos ex notionibus motus (genitivum et accusativum) et quietis (dativum) derivandos et quaecunque declinationis formae exsistunt eas omnes tribus illis casibus subiciendas esse velint, ab aliis velut opinio quodammodo per ipsos ficta merito improbari videtur. Nam Graecorum aeque atque reliquorum Indo-Germanorum principio sex casus obliquos fuisse, ita ut ad illos modo notatos alii tres nec minoris momenti casus locativus instrumentalis ablativus accederent, id quum collatis inter se linguis colligi possit, tum eo confirmatur, quod horum casuum, qui quidem postea ex sua quisque provincia ad reliquos multum transtulerunt, vestigia quaedam in antiquissimis Graecorum litteris exstant. Iam Quintilianus (Instit. L. I, pag. 27.) non omnibus formis explicandis numerum casuum a grammaticis constitutum satisfacere vidit et in dativo alterum casum latere ejusdem quidem formae, diversae autem significationis suspicatus est.

Operae pretium duxi, ex his casibus paene deperditis unius locativi formas ex Homeri et Hesiodi carminibus, quippe quibus vera et antiqua species linguae optime praebeatur, in unum locum colligere non tamen neglectis iis quae ex aliis poetis aut scriptoribus afferenda esse viderentur. Et locativum quidem primi, nisi fallor, Fridericus Rosen et Schmitthenner[2] detexerunt, si hoc dicere licet, et quantum poterant in locum debitum et justum reponere studuerunt, quos Boppius, Pottius,

[2] F. Rosen. Prolusio corporis radicum sanscritarum. Schmitthenner, Ursprachlehre.

Georgius Curtius et nuperrime Leo Meyer secuti sunt, cujus ex operibus et lectionibus quum multum fructus perceperim, grammaticam comparativam ad finem non perductam parum mihi adhiberi potuisse valde doleo.

Apte dilucideque materiam me sic disponere arbitratus sum, ut capite primo de casus locativi et reliquorum ratione, altero de terminationibus ejus agerem, tertio formas ipsas et voces, quae locativi esse viderentur, quam accuratissime enumerarem.

Caput primum.

DE LOCATIVI ET RELIQUORUM CASUUM RATIONE.

Remotissimis temporibus et quasi principiis linguae humanae quum declinatio omnis, id quod supra attigi, pro natura humanae cogitationis nondum excultae, tribus casibus (nominativum et vocativum ut ad declinationem non pertinentes excipio) contineretur, ita ut unus sejunctionem, alter accessum, tertius quietem significaret, tum hic casus locus et sedem denotans paris momenti fuisse nec quicquam reliquis gravitatis pondere cessisse cogitari debet. Postea quum casuum hic numerus et hae finitae singulorum significationes diversis variisque rationibus et conditionibus vitae recte notandis sufficere jam nequirent, factum est, ut casus singuli in plures formas secundarias, quae mox et terminatione et significatione partes casuum propriorum suscipiebant suique juris fiebant, distraherentur, eorumque significationes in ipsam horum recens ortorum gratiam minuerentur. Ita ex uno casu genitivus et ablativus, ex altero locali dativus instrumentalis et locativus exorti sunt, contra tertii qui dicitur accusativi provincia incolumi fere relicta. Genitivum, ablativum et accusativum tanquam ad hunc locum parum pertinentes mittamus et, quod nostrum est, de illo altero ordine et singulorum, ex quibus constat, casuum ratione paucis dicamus. Quum, ut vidimus, facere non possimus, quin principio inter dativum instrumentalem et locativum casum, quem ultimo

loco nominavi, ut ad naturam proxime accedentem principatum tenuisse existimemus, postea momento mentis et cogitationis superante partes ita mutatae sunt, ut dativus ex utriusque aliorum finibus plus plusque sibi assumeret adeoque illos reprimeret, ut temporibus classicae quae dicitur orationis prosae amborum casuum nulla fere vestigia, quae principalem eorum vim significarent, reliqua essent. Caussa hujus diminutionis plurium simulque auctionis et corroborationis unius casus duplex est. Primum simulatque perspectum est, quasdam rationes, quas diversorum casuum ope notare consueti erant, uni communi casui supponi eoque aeque bene exprimi posse, tum, studio linguam simpliciorem pressioremque reddendi vim suam exercente, has rationes unica forma conjungebant, quo factum est, ut casus quidam, qui ad conditiones quasdam significandas eo usque adhibiti erant, quodam certe nomine supervacanei viderentur ideoque obsolescerent. Altera ratio extrinsecus accita fere fortuito inita est. Si quidem, id quod nonnunquam fieri solebat, duo aut plures casus eandem aut simillimam terminationem exhibebant, confusio horum facta est, quae casus singulos quamvis vi et significatione diversos discerni jam non passa est, sed potius effecit, ut pro unico tantum casu haberentur. Ita evenit, ut ex tali plurium ordine unus aut alter casus, quum propter concentum alio reprimeretur, peculiaris suaeque potestatis non amplius agnosceretur atque paullatim oblivioni daretur. Talis ratio inter dativum et locativum instrumentalemque intercessit talisque via cogitanda est, qua ille reliquos suppresserit et paene deleverit. Nonnulla etiam vestigia talis formarum confusionis persequi nobis licet, inprimis in vocabulis declinationis secundae. Nam quum terminatio οι, ut infra videbimus, non antiquissima quidem propria tamen locativi harum vocum esset, et dativus similem formam ωι praeberet, fieri non potuit, quin iis temporibus, quibus litera ω ignota aut in usu certe nondum

erat, utrique horum casuum in scriptura quidem eadem forma in *οι* desinens attribueretur. Ergo quod dativo eandem formam et locativo addere atque ita ambos casus inter se commiscere consueverant, sensim factum est, ut alter ab altero discerni jam non posset et posteriore aetate, qua dativus producta litera *ω* scribi solebat, haec dativi terminatio ad locativum quamvis aliena ab hoc casu transferretur, quum propria forma localis in paucissimis tantum vocibus remaneret. Hanc majorem dativi vim, qualis posteriorum scriptorum temporibus agnoscenda est, cur recentiores grammaticos veteres nimis anxie secuti etiam apud Homerum et Hesiodum passi sint, equidem non video. Hoc certum mihi videtur, aliam viam et rationem scribendi et scripturas judicandi apud antiquos poetas, aliam apud scriptores posterioris aetatis esse ineundam, ita ut transitionis, quae ab illorum lingua ad horum genus scribendi facta est, ratio ducatur. Itaque quum illis antiquissimis temporibus, quibus orta sunt carmina Homerica, atque etiam belli Peloponnesiaci[3], ut exemplo utar, *ΑΓΡΟΙ* scriptum esse negari non possit, terminationem autem locativi *οι* fuisse ex formis quibusdam ab Atticis reservatis et usurpatis velut *οἴκοι* intelligatur, quid caussae est, cur locis iis, quibus significatio localis necessario flagitatur, propria etiam et peculiaris forma casus locativi non adhibeatur? Ita λ, 188 *πατὴρ δὲ σὸς αὐτόθι μίμνει ἀγρῷ*, sensus videtur postulare, ut pro dativi forma locativus restituatur. Id certe, quod forma illa *αγροι* apud scriptores posteriores jam non invenitur, nulla, puto, caussa potest esse, cur ab Homero abjudicetur. Sic se habet, ut exemplum simile afferam, *μέσσοι*, quod quamquam Apollonius servavit (de adv. pag. 610. *γαίας καὶ*

[3] Quamquam Simonides Ceus, qui literam *Ω* adjunxisse et literae *Η* aliam significationem indidisse dicitur, bellis Persicis floruit, tamen Athenienses veterem scribendi rationem usque ad archontem Euclidem retinuisse constat.

ὠράνω μέσσοι), nusquam tamen in Homeri carmina receptum est. Ego quidem sic existimo, quibusdam ejusmodi locis, qui infra accuratius afferentur, formam dativi abiciendam et terminationem principalem revocandam esse, omninoque illum casum, ubi liceat, in antiquum statum restitui oportere pro eadem ratione, qua nuper digammati Aeolico apud Homerum locum concedere coeperunt.

Simili ratione casus locativus et instrumentalis sive modalis inter se confusi apparent. Terminatio casus hujus quum ionice vocali *η*, dorice vocali *α* formetur, Germanorum antiquorum signo û, Sanscrito â respondens, formae locali generis feminini declinationis I *ῃ*,[4] litera *ι* quidem instructae sono autem fortasse haud multum distinctae, simillima est. Ita adverbia *ἄλλῃ* „alia via“ et *ἄλλη* „alio modo“ neque forma neque significatione tam finite secreta sunt, ut quoque loco, ubi vox invenitur, certo decerni possit, utrum forma sit locativi an instrumentalis. Sic praeter hoc crebro etiam de vocabulis *ὅππη*, *πῇ*, *τῇ* aliis valde dubia quaestio et inter recentissimos quoque editores maxima discrepantia est, sitne litera *ι* addenda necne. Singula suis locis accuratius inquirenda erunt. Omnino autem casus instrumentalis apud Homerum maximam partem dativi ope sublatus esse dici debet, et paucissimae tantum formae leguntur, quae illi casui sine ulla dubitatione attribui possunt.

Atque hoc velut suo loco praepositiones attingantur necesse est, quae quum omnino significationibus omnium casuum multum detrimenti intulerint, tum maxime locativi vim minuerunt plurimumque ad hunc casum funditus tollendum contulerunt. Quamquam enim, id quod inter viros doctos videtur convenire, praepositiones, quum eas nihil aliud nisi casus antiquos fuisse

[4] Si quidem terminationem *ῃ* etiam locativo attribuimus, de quo postea pluribus dicendum est.

probabile sit, principio ad significandos ipsos casus, quibus accedebant, prorsus nihil pertinebant, sed non nisi ad eos distinctius et accuratius definiendos atque conditiones secundarias minorisque momenti denotandas adhiberi solebant, sensim tamen factum est, ut regnum suum in casuum damnum propagarent et postea vim fere terminationum casuum sibi arrogarent. Itaque quum initio quamque praepositionem, quoniam tantum verbi notionem illustrabat, cuique casui subjungi potuisse ex natura earum pro certo habendum sit atque etiam ex iis[5] quae exstant litteris magnam partem probari possit, postea res ita mutata est, ut quaedam praepositiones ad quosdam tantum casus aliis repudiatis tali ratione accederent, ut cum suo quaeque casu quasi in unum corpus coalescere videretur. Quae vis praepositionum, ut ad nostram rem regrediar, in ipsis illis, quae quietem et locum significant, clarissime apparet, id quod non mirum est. Quod enim praepositiones ex rationibus loci significationes suas principaliter aut prorsus sibi repetierant, quam vim localem pleraeque semper obtinuerunt, fieri non potuit, quin maxime illis casibus, quorum significationes ad locum pertinebant, ad notionem loci augendam aut distinctius exprimendam jungi solerent. Postea quum ejusmodi particulae, quarum usitatissima ἐν est, ad notionem localem significandam necessariae existimarentur, tota vis locum notandi ipsis praepositionibus attributa est. Quemadmodum autem praepositiones, quae exitum significant, non ablativum, quae videbatur cumulatio, sed genitivum sibi assumpserunt, sic illae locum denotantes non cum locativo, quippe cui praepositione opus non esset, sed cum dativo conjunctae sunt, quo effectum est, ut locativus supervacaneus putaretur et ita e lingua prorsus fere auferre-

[5] Vel praepositio ἐν, quae temporibus posterioribus dativi unius propria apparet, prius etiam accusativum ut Latinorum „in“ ascivit; ἐς autem et ἐν maxime inter se affinia esse, per se planum est.

tur. At vero, et id semper tenendum est, quod valet ad posteriora tempora, non valet ad antiquiora; quum in carminibus epicis praepositiones eo quem tetigi modo nondum praeponderent, in iisdem etiam ad locativum totam suam vim nondum exercuisse judicandae sunt.

Et ratio quidem locativi cum ceteris casibus aut minima aut nulla est, quum ille neque genitivo neque accusativo aut forma aut significatione similis affinisve sit. Hoc unum dignum videtur, quod moneatur, exsistere exempla quaedam, in quibus quodammodo permutatio locativi et accusativi appareat, quae nimiae dicendi negligentiae videtur esse assignanda; velut χαμαί „humi“ forma locativi germana saepius pro χαμᾶζε posita videtur. Id quod vocabula, quibus terminatio θεν addita est, significationem localem saepenumero sibi sumere videntur, ut ἠῶθεν, ἔντοςθεν alia, quum caussa in diversitate, quae inter contemplationem nostram et Graecorum intercedit, collocanda sit, ad hunc locum nihil pertinet.

Caput secundum.

DE TERMINATIONIBUS CASUS LOCATIVI.

Propriam et antiquam terminationem locativi accurate et distincte finire propter varias, quibus hunc casum expressum invenimus, formas haud facile est. Unica enim forma localis omnium vocum propria nusquam legitur, ita ut, si quando exstitit, temporibus illis, quorum litterae et inscriptiones ad nos pervenerunt, jam non in usu fuisse putari possit. Terminationes, quae apud Homerum et Hesiodum antiquissimae habendae sunt, tres inter se arcte cohaerentes inveniuntur *θι*, *χι*, *φι*. Quum de prioribus vix dubitari possit, quin locativum notent, contra quod de ultima ex his formis quidnam significet inter viros doctos jam dudum maxima disceptatio est, de particulae *φι* vi et natura, qualis esse videatur, pauca praemittamus necesse est. Opinio, quae a grammaticis accepta per multum temporis vulgaris fuit atque hodie etiam regnat, syllabam *φι* sive *φιν* genitivo et dativo, exclusis aliis casibus, attribuendam esse, recentissimo tempore labefactata non jam ab omnibus probatur. Alii, in quibus praecipue Thierschius nominari debet, *φιν* commune quoddam signum declinationis agnoverunt, quo accedente vocabulum demum vim substantivi adipisceretur, quae sententia quibus causis et argumentis firmari possit, difficulter intelligitur.[6] Qua in re cum fructu quodam aliae linguae posse com-

[6] Thierschius vir doctus et valde reverendus, qui hanc rem pa-

parari videntur, quum complures hanc syllabam naturae suae quaeque accomodatam offerant rectamque fortasse viam significationis verae inveniendae monstrare possint. Sanscrita terminatio bhis cognata, ut apertum est, cum Graeca casus instrumentalis atque ablativi est, nonnunquam etiam fines locativi attingere videtur, velut in naubhis, *ναῦφιν*. Latinorum formas nobis vobis illam syllabam continere, quum haec opinio, quoniam terminatio bis in illis vocabulis producta apparet, comprobari non possit, contra in paucis adverbiis loci, velut ubi, ibi aeque atque in dativis tibi sibi (mihi media abjecta aspirationem retinuit) reservata est, quo facile adducimur, ut apud Latinos propriam vim voculae localem esse arbitremur. Ex his affinibus linguis si colligas, forsitan suspiceris, Graecorum terminationem *φι*, etiamsi ad instrumentalem et ablativum magis pertineat, tamen a locativo non esse abjudicandam. Et loci quidem notionem in illa particula vere inesse, ipsa Graeca lingua confirmatur, quum nonnullis locis postea afferendis haec vis tam manifesto appareat, ut negari nullo modo possit. Nunc formas *κλισίηφι* *N*, 168 et *θύρηφι* *ι*, 238 huc retulisse satis sit. Contra omnibus iis locis, ubi praepositiones *ἐκ ἀπό* aliae ejusdem generis additae leguntur, statuendus est ablativus (ut *ἐκ θεόφιν* „divinitus"), non genitivus, quem casum pariter atque accusativum illa syllaba notari vix probari posse videtur. Et de accusativo quidem quod potissimum Hesiodeo loco Oper. 410 *ἐς ἔννηφι*[7] nituntur, sufficiat in memo-

rum liquidam reliquit, literas F et *Φ* inter se diversas in maximum conjecturarum suarum damnum videtur confudisse. Idem a se impetrare potuit, ut in *εὐνῆφι* simil. *ἔκθλιψιν* statueret et hoc ex *εὐνῆσφι* exortum esse opinaretur. Gr. Gr. pag. 275 squ. — Apollonius (de adv. pag. 574) vel vocativo suffigi voculam tradit.

[7] *ἐς ἔννηφι* similiter se habet et *ἐς ἀεί*, quod tam prorsus adverbii speciem exhibet, ut nemo ob praepositionem accusativum statuere audeat.

riam revocasse, quae de praepositionibus universis supra dicta sunt, in carminibus antiquis praepositionem nullam testimonium satis certum esse posse, ut formam quamlibet pro certo casu existimemus. Curnam, quod temporibus posterioribus praepositiones singulas ad certos casus accedere videmus, eandem rationem etiam prius fuisse putemus? Ut cujusque fere vocabuli, sic praepositionum vis et ratio mutatae sunt, et si in illis Homericis *Ἰλιόθι πρό, Ἠῶθι πρό* nullus quod sciam *Ἰλιόθι* et *Ἠῶθι* genitivos intelligere conatus est, quamquam praepositio *πρό* postea hunc tantummodo casum asciscere solebat, nulla caussa est, quod alibi ad definiendos casus praepositionibus tantum momenti impertiamur. Aptissime cum illo loco Hartungius Latinorum „ad pridie Calendas," quod in inscriptione exstat, conferri jubet (L. c. pag. 235). De loco Φ 295.

> *Πρὶν κατὰ Ἰλιόφι κλυτὰ τείχεα λαὸν ἐέλσαι*
> *Τρωϊκόν.*

ubi sunt, qui genitivum statuant, admoneri possit, substantivum *Ἰλιόφι* a verbo *κατεέλσαι*, non ab accusativo *τείχεα* pendere.

Utut sese habent hae res, id quidem, terminationem *φιν* etiam locativi formam existimandam esse, prorsus certum videtur. Gradatio quaedam, ut hoc addam, significationis in carminibus epicis notari potest ejusmodi, ut quo posterioris aetatis carmen est, eo magis minuta in syllaba *φιν* notio loci appareat eamque ob rem in Iliade saepius quam in Odyssea, in hac crebrius quam in carminibus quae dicuntur Hesiodi exstet. Ceterum vetustiorem formam non *φιν* sed *φις* fuisse, pluribus caussis comprobari potest. Primum forma Sanscrita, ut modo vidimus, literam *ς* exhibet, deinde in Graeca lingua ex literis *ν* et *ς* posteriorem plerumque antiquiorem esse, ex aliis exemplis intelligitur,[8] denique haec antiqua litera *ς* in uno exemplo ex-

[8] Huc pertinent formae personae primae plur. in *ες* desinentes, ut *εἴρπομες, εὕρομες* aliae multae.

stat *λικριφίς* (Ξ, 463. τ, 450), si quidem, id quod pro certo habeo, hoc vocabulum ex radice *λικρι* (= *λεχρι*) syllaba *φις* annexa ortum est. Consonas has *ν* et *ς* etiam alteri ex tribus allatis terminationibus *θι* affixas fuisse quum aliis caussis tum eo confirmatur, quod vocabulum *αὖθις*, quamvis alia significatione, ad posteriora tempora pervenit, *αὖθιν* autem in usu fuisse traditum est: *οὕτω γὰρ λέγεται παρὰ Ῥηγίνοις* (Bekker. Anecdot. gr. pag. 1347). Quam ob rem si etiam de tertia forma *χι* conicere liceat, antiquissimae locativi formae, quas nos quidem persequi possumus, *θις φις χις* sive *θιν φιν χιν* statui possunt. Et *χι* terminationem quidem apud Homerum obsoletam et paene deletam, apud Hesiodum prorsus extinctam invenimus. Unicum[9] exemplum est *ἦχι*, quod pluries semper autem significatione locali positum legitur. Usitata contra est syllaba *θι*, quamquam haec quoque multum ponderis amisit et vixdum signum casus agnosci solet, quum omnes fere voces, quibus affixa est, in adverbium transierint.[10]

Quae quum ita sint, terminatio locativi ex conjunctione aspiratarum cum vocali inita constare censenda est; consona claudens quidem ad notandum locum necessaria non videtur. Aspiratas autem inter se saepius commutari neque certis finibus contineri, potius provincias singularum non raro se attingere, ex exemplis non paucis intelligi potest. Talis inter literas *φ* et *θ* affinitas in rationibus harum vocum *φήρ-θήρ, φλίβω-θλίβω, φλάω-θλάω* cernitur et *χ* et *θ* inter se cognatas esse literas, docent exempla *πέποσχα-πέπονθα, ὄρνιχος-ὄρνιθος*. Itaque totam vim et pondus notionis loci non in consonis velut mutabilibus, sed potius in litera, quippe quae nun-

[9] De particula *ἄγχι*, quae huc non pertinet, postea locus dicendi erit.

[10] Terminationem *θι* autem praeter sola vocabula *οἴκοθι* et *κηρόθι* nonnisi sequente praepositione *πρό* substantivis additam legi, ut ait Krueger (Griechische Sprachlehre II, 1. §. 19. 31.), pluribus exemplis ut *Κορινθόθι* al. refutatur.

quam desit, collocatam esse suspicari licet. Porro quum aspiratas prioribus temporibus ita pronuntiari solitas esse probabile sit, ut et tenuis et aspiratio *H*, ex quibus singulae constant, distincte audirentur,[11] fortasse non nimis erres, si antiquissimam locativi formam *Hι* sive admissa liquida, *Hιν* (*Hις*) statuas quae quum in pluribus aliarum linguarum voculis exstet, velut in adverbiis loci Latinorum „hic," Germanonum „hier," tum haud scio an in antiquo ἶν (= οἷ) reservata esse existimanda sit. Res ita cogitari potest, ut temporibus Graeco-Italorum, quam vulgarem significationem adhibere liceat, locativum syllabis illis antiquis notatum esse, tum a Graecis, sive difficilior videbatur pronuntiatio, sive omnino literam *H* sine alia positam in mediis vocabulis non passi sunt, pro aspiratione aspiratas adhibitas esse existimemus. Sed haec parum certa mittamus.

Formae locativi φι et θι omnium declinationum propriae sunt, quamquam posterioris terminationis declinatio prima unum tantum exemplum idque non certum offert θ ύ ρ η θ ι ξ, 352. (ubi Schaeferus θύρηθε conicit, prius legebatur θύρηφι); φι autem paucis formis exceptis tantummodo numeri pluralis, θι prorsus tantum singularis signum est. Contra formam pluralem σι (σιν), quam principio locativi propriam fuisse ex ipso Homero apparet, cum terminatione locali θι quodam nomine cognatam esse, quum id pro certo statuere minime audeam, tamen pro magna inter se affinitate[12] literarum θ et σ probabilitate quadam non caret. — E terminitationis θι mutatione variae formae oriuntur. Aspirata syllabae emissa, id quod saepe factum est, binae vocales, inter quas illa posita fuerat, in diphthongum contrahi solebant, velut ex οἴκοθι brevior forma οἶκοι enata est. Haec syllaba οι declinationis alterius postea

[11] In epigrammate Melio tenues π et κ cum aspiratione nondum in unicam literam conjunctae reperiuntur, ut in formis *ΕΚΠΗΑΝΤΟΙ*, *ΑΜΕΝΠΗΕΣ*, *ΕΠΕΤΚΗΟΜΕΝΟΣ* aliis.

[12] A Spartiatis pro Jonico θ crebro σ adhibetur.

semper fere in ου transiit, qui transitus in Graeca lingua saepenumero reperitur, ut in *Μοῖσα-Μοῦσα*, *'Αρέθοισα-'Αρέθουσα*, porro in participiis φιλέοισα Pind. Pyth. 3, 31. νωμάσοισι 4, 32. ἐοῖσα, ἀποθανοῖσα, ἔχοισα al. Sic ex αὐτόθι sive αὐτόφι αὐτοῖ ex eoque αὐτοῦ fit. Opinio, αὐτοῦ proprie genitivum esse, qui postea sibi notionem loci assumpserit, probari non potest, quum significatio localis ab hoc casu nimis abhorreat. Illum transitum vere statuendum esse, quum ex aliis Graecorum et Latinorum[13] exemplis, tum maxime inde intelligitur, quod hujus imminutionis gradus in uno vocabulo clare intelligere possumus. Formam enim antiquam τηλοῖ ex τηλόθι exortam Apollonius (l. c. pag. 610) servavit, τηλοῦ autem apud Homerum legimus. Quae terminatio οι quamquam postea tantum fere motum notare solebat, quum significationem loci et quietis syllaba ου susciperet, tamen exempla non desunt vocabulorum, quae ad notionem localem denotandam terminationem utramque adhibeant. Conferri potest Schaeferus (ad Phalar. epist.) ubi ὅποι et ὅπῃ de quiete promiscue dici affirmat, qui idem vir doctus ad Oed. Col. v. 227 ὅποι et ὅπῃ solo genere et forma differre annotavit. — Quod autem in syllaba οι valet, idem ad terminationem αι, quae illi prorsus respondet, referri potest. Quum οἴκοθι οἴκοι inveniamus neque facere possimus, quin posterius ex priore repetamus, quid obstat, quominus locativum χαμαί ex antiquo χαμάθι deperdito quidem exortam esse statuamus, praesertim quum haec conjectura analogia vocabulorum χαμάθεν Her. II, 125. et χαμαῖθεν, quod Apollonius l. c. affert, satis confirmari videatur. Formae igitur in οι et αι exeuntes casui locativo certo vindicari possunt, quum contra terminatio η, quamquam locum notans saepius legitur, eidem casui attribui vix possit. Discrimen principale, quod inter dativum et locativum interest,

[13] Ita antiquior forma ἔνδοι Latinae „indu" (correpto u) respondet, ita Romani prioribus temporibus „commoinis," „inoitilis" etc. dicebant.

omnino hoc est, ut hic casus vocalem, quae literam ι praecedit, correptam exhibeat aut prorsus spernat, quum haec in dativo producta appareat, qua re alterius vis et pondus in ipsa litera ι, alterius in praecedente vocali sita esse censenda est. Itaque locativus ι velut sibi necessarium nunquam abicit, quum vocalem praecedentem saepe aspernetur, ut in ἄγχι sim.; dativus contra ι si non abjectum, sono tamen vix distinctum nulliusque momenti ostendit, ita ut omne pondus gravitatis in vocali altera collocet. Ita sibi opposita sunt οἴκοι et οἴκῳ, ita ἀλκῇ et ἀλκί, ὑσμίνῃ et ὑσμῖνι alia.[14] Ceterum declinationis quam vocant tertiae vocabula utrum etiam locativum an tantummodo dativum exhibeant, ea difficilis est quaestio, quae ad liquidum vix prius perduci poterit, quam de vetustate et ratione hujus cum ceteris declinationibus diligentius exploratum erit. Hoc tantum annotare liceat, nonnulla exempla ejusmodi exstare, quae facere non possumus, quin pro locativis sinceris judicemus. Singula infra nominabuntur. Omnino postea vocalis ι proprium et solum locativi signum fit, velut ex syllaba οι exortam in pluribus exemplis videmus, quorum hic unum attulisse ἄγχι sufficiat. Rarissimae formae quaedam inveniuntur, in quibus litera ι sive in aliam affinem mutata sive prorsus abjecta apparet, quo pertinent ἐκτός ex ἔκτοθι, ϑ in σ mutato, τῆλε ex antiquo τῆλι natum, alia.

Sed haec hactenus. Postquam universas terminationes, quae locativi putandae sint, breviter significavi, restat, ut singulas formas hujus casus, quae apud poetas antiquos leguntur, afferre instituam, ex quibus nonnullas si hic illic omiserim, ut mihi ob magnam saepe certum casum statuendi difficultatem ignoscatur, vehementer rogo atque oro.

[14] Plurimas ejusmodi formas adeo disjunctas esse, ut ad diversas declinationes referrentur, id ad rem nihil pertinet.

Caput tertium.

DE SINGULIS QUAE EXSTANT CASUS LOCATIVI FORMIS.

Quamquam illae antiquae terminationes arctissime inter se cohaerent, tamen exempla ejusmodi, ut omnes tres syllabae ϑι φι χι uni eidemque stirpi junctae legantur, nulla neque apud Homerum neque apud alium quemquam poetam existunt. Contra paucae eaeque quod sciam quattuor voces inveniuntur, quae ex tribus illis syllabis binas stirpibus suis affixas praebent. Ita se habent ϑι et φι in Ἰλιόϑι (semper praepositione πρό subsequente) *Θ*, 561. *K*, 12. *N*, 349. et Ἰλιόφι *Φ*, 295, deinde in ϑύρηϑι ξ, 352, quod tamen propter apostrophum exemplum certum non esse supra vidimus, et ϑύρηφι ι, 238. χ, 220. Hym. II, 36. Hes. Oper. 365. et in tertio denique exemplo αὐτόϑι *I*, 617. *Ξ*, 119. *Φ*, 201. *Ψ*, 147. 163. Hes. Oper. 96 et αὐτόφι *M*, 302. *N*, 42. *T*, 255. *Υ*, 140. *Ψ*, 640, quod uno loco *Λ*, 44. vim ablativi habet; quomodo hic:

> χαλκὸς ἀπ' αὐτόφιν (scil. δούρων) οὐρανὸν εἴσω
> λάμπε,

vir doctus Krueger (l. c. §. 19. 2, 6). αὐτόφιν pro αὐτοῦ positum existimare potuerit, ego non intelligo. Quamquam haec forma excepto *T*, 255, 'επ' αὐτόφι (scil. Ἀτρείδῃ), omnibus locis plurali videtur inservire, tamen non negandum est, vocabulum prorsus fere naturam adverbii tueri praesertimque cum praepositione παρά, quam plerumque asciscit, in unam quasi formu-

lam coaluisse. Quartum exemplum ad terminationes φι et χι pertinet ἦχι „qua“ (apud Homerum novies *A*, 607. *Γ*, 326. *E*, 774. *Θ*, 14. *Λ*, 76. γ, 87. 292. ζ, 84, τ, 553. apud Hesiodum nusquam legitur) et ἦφι *X*, 107. ἦφι βίηφι πιθήσας, ubi ex propria verbi πιθήσας significatione nescio an notio loci jure statuatur.

Nunc harum syllabarum finalium inter se ratione exemplis significata enumeranda illa vocabula sunt, quae illas singulas terminationes aut integras aut aliquam partem imminutas exhibent aut prorsus abjecerunt, ita ut eas prius positas fuisse nonnisi suspicari liceat. Ac primum quidem particula θι in vocibus non paucis et plerumque ita posita invenitur, ut haec vocabula in adverbia transiisse videantur. Οἴκοθι quater (Θ, 513. γ, 303. τ, 237. φ, 398.), forma imminuta οἴκοι, quae etiam in Atticorum usu est, saepius legitur (*A*, 113. Ω, 240. α, 12. ϑ, 324. ν, 42. ο, 15. 178). In κηρόθι (*I*, 300. *Φ*, 136. ε, 284. ι, 480. λ, 208. ο, 370. ϱ, 458. σ, 387. χ, 224. Hym. I,138. Hes. Scut. 85.) perturbatio quaedam linguae, quae hanc formam contra legem et normam ex ratione declinationis secundae finxerit, accipienda est, quae eadem etiam in simili exemplo infra commemorando ἐσχαρόφι nominativi ἐσχάρα apparet. Non recte Hartungius (l. c. pag. 241) substantivo κηρόθι vim ablativi imposuit aeque atque Hesychius, qui illud per „ἐκ ψυχῆς“ explicavit. Forma κῆρι apud Homerum ter posita invenitur, *I*, 117. γ, 410. ζ, 11. Ex ὑψόθι (*K*, 16. *P*, 676.) brevior forma ducta est ὕψι (*N*, 140. Ξ, 387. π, 264. et saepius, sicut in adjectivis ὑψίζυγος *Δ*, 166. ὑψιβρεμέτης cet. inest). Forma ὑψοῖ, quae medium inter illas gradum tenuisse existimanda est, quum nusquam apud Homerum exstet, posterior ὑψοῦ saepius, non raro etiam motum notans, legitur. Ex μεσσόθι, quod Hes. Oper. 369.[15] reperitur, exortam formam μέσσοι Apollonium

[15] Apud posteriores quoque poetas paucis locis legitur.

nobis tradidisse, jam notavi, Aeolicum μέσυι, quod Ionico μέσοι respondet, Hesychius explicans „ἐν μέσῳ“ servavit. Τηλοῖ ex τηλόθι ortum in usu prius fuisse quum ex Apollonio (loco supra citato) tum inde intelligitur, quod forma Aeolica τῆλυ in adjectivo τηλύγετος (π, 19. saepe) apparet. Constat enim, Boeotos pro οι υ dicere solitos esse, velut in inscriptionibus ἔμυ pro ἐμοί, ἔχυ pro ἔχοι[16] posita inveniuntur; cfr. Boekhii C. J. *I*, 3, 723, 10. Apud poetas epicos formae τηλοῖ locum τηλοῦ (ε, 318. ϱ, 253. sexcenties) occupavit. Similiter τῆλι ex illo natum nusquam legitur, quum τῆλε, ι in ε debilitato, crebro reperiatur. Transitum autem literae ι in ε in Graeca lingua usitatum esse, exempla multa docent, ut ἱστίη - ἑστία, τίκτω - ἔτεκον, al. Confirmatur illa, quam proposui, ratio repetendi iis etiam formis, in quos ἀγχόθι (Ξ, 412. Ψ, 762.) imminutum videmus. Ἀγχοῦ saepissime legitur (velut δ, 25. ε, 159.) neque rarius ἄγχι (α, 157. ζ, 56. etc.) quod quidem in adjectivo ἀγχέμαχος (*N*, 5. *Π*, 248.) transitum illum praebet. Αὐτόθι in αὐτοῖ transiise, ex forma ἐνταυθοῖ (σ, 105. υ, 62. Hym. *I*, 363.) commutatis inter se consonis exorta colligere licet. Αὐτοῦ multis locis est aeque atque αὖθι, ex eodem αὐτόθι syllaba το ejecta formatum. Τόθι longiori formae αὐτόθι similis vox bis legitur ο, 239. Hym I, 244 ex qua ductam formam τοῖ (talis enim accentus, ut videtur, requireretur) significatione loci positam non inveniri, mirum est, quum vocabulum significatione locali vere usurpatum esse ex Aeolico τῦ, quod idem valet et τοῖ, suspicari possimus. Hesychius τυΐ (quam scripturam Hartungius (l. c. pag. 198) improbat) per, „ὧδε,“ sicut τύτη per „αὐτόθι“ interpretatur. Communem rationem imminuendi etiam ὅθι (persaepe), πόθι (α, 170 et saepius πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες), ποθί (δ, 34. μ, 96, non

[16] cfr. formam Doricam τύραννος cum Ionica κοίρανος.

raro), ὁππόθι (γ, 89) sequuntur, ex quibus derivata sunt οἶ-οῦ, ποῖ-ποῦ, ποί-πού, ὅπποι-ὅππου. Apud Homerum nonnisi formae in ου exeuntes inveniuntur, quum terminatio οι apud posteriores saepe quidem sed ita tamen posita legatur, ut motum significet. Quorum adverbiorum veram significationem quum usus obscuram fecisset et paene oblivioni dedisset, id discrimen statuere sueti erant, ut illo ου quietem, hoc οι motum notari putarent. Loci tamen quidam exstant, quibus propria vis et natura terminationis οι cognosci potest, velut Aristoph. Aves Ἀλλ' οὐδὲ ποῖ γῆς ἐσμὲν οἶδ' ἔγωγ' ἔτι. Soph. Oed. Col. 227. ἃ δ' ὑπέσχεο ποῖ καταθήσεις; Eurip. Hec. 1129. ποῖ κακῶν ἐρημίαν εὕρω; al. Contra exempla non desunt, quae adverbia ποῦ et ὅπου tanquam motum significantia videntur praebere, de quo praeter Schaeferum supra commemoratum Krueger. Gr. Gr. §. 25. 10. 9. conferri potest.

Ἐκεῖθι, ut ad alia progrediar, apud Homerum semel ρ, 10 invenitur, quum forma ε suppresso orta κεῖθι saepissime legatur, apud posteriores nonnunquam sensu accusativi pro κεῖσε posita (Hesychius: κεῖθι· κεῖσε, εἰς ἐκεῖνον τὸν τόπον). Ἐκεῖ, quod in antiquis carminibus locum nullum habet, postea in solum fere usum venit. Paullo alia ratio est vocabulorum ἔκτοθι (Ο, 391. Χ, 439) ἐγγύθι (α, 120. η, 29. ν, 156. ω, 358. Hesiod. Oper 288) et ἔνδοθι (ε, 58. θ, 577 saepe), ex quibus superiora duo terminationem θι ita mutant, ut vocali ι abjecta relictum θ in σ transire patiantur. Ita oriuntur formae ἐκτός (ν, 123. Hym. II, 346) et ἐγγύς (ι, 166. ν, 268. etc.). Ἔνδοθι simili ratione inita aspiratam θ non in ς sed in affinem liquidam ν mutat, quo ἔνδον (ε, 61. η, 166. al.) nascitur. Attamen ἔνδοθι usitatam imminuendi rationem non aspernatum esse, ex Apollonio (l. c. pag. 610) intelligitur, qui etiam formam ἔνδοι in usu fuisse docet.

Restat, ut vocabula afferantur, quae nonnisi antiquam for-

mam neque ullo modo mutatam exhibent. Praeter Ἰλιόθι jam annotatum duo substantiva ἠῶθι (Λ, 50. ε, 469. ζ, 36.) et οὐρανόθι (Γ, 3.) praepositionem πρό semper asciscunt, quum contra duarum urbium nomina nuda legantur Κορινθόθι (Κ, 664.) et Ἀβυδόθι (Ρ, 584). Νειόθι ab adjectivo νεῖος ductum vim sibi vindicat substantivi (Φ, 317. Hes. Theog. 567). Forma, quae ex ἄλλοθι (δ, 684. ξ, 130. π, 44. ρ, 318) orta est, ἄλλου apud Homerum nusquam legitur, sed ad posteriorem aetatem pertinet. Accedunt ἑτέρωθι (δ, 531. μ, 235), ἑκάστοθι (γ, 8) et ἀπόπροθι (Ψ, 832. δ, 757, 811. ε, 60, ι, 18, 35), quod postea (apud Homerum nunquam) terminationem θι interdum abicit. Adverbia quaedam in θα desinentia videntur hoc tanquam suo loco afferenda esse, quod haec forma cum illa θι arctissime cohaeret. Facere enim non possumus, quin syllabam θα formam Aeolicam omninoque, nisi fallor, antiquiorem casus locativi esse existimemus, quae apud Iones vocalis α parum amantes tenuiore terminatione θι depulsa sit. Creberrima exempla sunt ἔνθα, quod Ionico ἐνί (si quidem ex ἔνθι exortum est) videtur respondere, et mira forma ἐνθάδε, quae signa et locativi et accusativi prae se fert et partes utriusque casus pariter suscipit. Omnino hujus terminationis significatio postea etiam ad motum porrigitur,[17] velut ἔνθα nonnullis locis Homericis quin hoc sensu positum sit, dubitari vix potest. Accedunt ad illa nominata adverbia ὕπαιθα (Ο, 520. Σ, 421. Φ, 271. 493.) breviorque forma ὑπαί (saep.), ἤλιθα (ε, 483. ι, 330. ξ, 215. τ, 443.) et huic oppositum μίνυνθα (Λ, 539. etc.). Forma ιθα, quae in adjectivo ἰθαγενής inest, quominus ex terminatione hac θα et stirpe ἰ (cfr. Hartung. l. c. pag. 117.) composita putetur, tum productio literae α tum forma longior et iccirco antiquior ιθαι (in ἰθαιγενής ξ, 203) obstant. Quum enim θαι

[17] Phavorinus: ἐνταῦθα καὶ τὴν ἐν τόπῳ καὶ εἰς τόπον σημασίαν δηλοῖ.

velut terminatio locativi nusquam, si quid video, inveniatur ob eamque rem in ιϑαι aspirata ϑ stirpi non terminationi attribui debeat, idem facere non possumus, quin in breviore ιϑα statuamus. Simili modo in δηϑά aspirata a terminatione abjudicanda est. — Antequam ad alias locativi formas progrediamur, de accentus ratione, quae in vocabulis modo allatis appareat, paucis dicendum est. Binarum syllabarum verba accentum in prima semper collocant, ut ὅϑι, τόϑι praeter unum ποϑί, cujus ultimae cur apex appositus sit, ex interrogativo πόϑι facile intelligitur. Contra illarum vocum, quae pluribus syllabis constant, plurimae accentus notam in paenultima collocatam praebent et circumflexum quidem, si producta, acutum autem, si correpta est haec syllaba, velut ἠῶϑι, ἐκεῖϑι, τηλόϑι, ὑψόϑι. Pauca vocabula hanc normam ita aspernantur, ut accentum, quoad possunt, retrahant, in quibus nominanda sunt οἴκοϑι, ἄλλοϑι. In derivatis imminutisque vocabulis lex universa haec regnat, ut accentus aut suae aut ei syllabae adhaereat, quae literam antea acutam continet, ita ut ex ἔνδοϑι ἔνδοι (Aeoles ἐνδοῖ ex ἐνδόϑι derivarunt), ex οἴκοϑι οἴκοι oriatur, contra τηλόϑι, ὑψόϑι in τηλοῖ ὑψοῖ (τηλοῦ ὑψοῦ) transeant. Exceptae sunt nonnullae formae, quarum ultima syllaba correpta est, quo pertinent, ut in iisdem verbis verser, τῆλε, ὕψι nec non ἐκτός. Omnino firma et constituta regula talis, ut nunquam violetur et in omnibus formis valeat, proponi posse non videtur.

Venio nunc ad alteram locativi terminationem φι, quae quum multis locis casibus aliis inserviat, saepius, ut supra attigi, notionem localem tam clare tenet, ut hanc voculam illi casui optimo nostro jure attribuere videamur. Omissis illis vocibus, quae significationem loci non exhibent, nostrum est, eos omnes locos colligere, in quibus notio localis particulae illius regnat. Extant exempla syllabae φι et substantivis, id quod longe creberrimum est, et, quamvis raro, adjectivis suffixae, atque quum

particula omnium trium declinationum propria sit, ex hoc ordine voces enumerare liceat. Et primae quidem declinationis nominanda sunt haec: Κεφαλῆφι (*K*, 30. 257. 261. 496. *Λ*, 350. *Π*, 762. *υ*, 94. Hes. Theog. 578. Oper. 545. — *K*, 458. huc non pertinet), quod tantunmodo *Λ*, 350 dubitari possit num significatione loci posita sit, ubi

Καὶ βάλεν, οὐδ' ἀφάμαρτε, τιτυσκόμενος κεφαλῆφιν

ex Wolfii interpunctione, qua a verbo τιτυσκόμενος pendet, pro genitivo haberi solet. Sed plura huic interpretationi repugnant. Quum enim verbum τιτύσκεσϑαι significatione collineandi nonnullis locis Homericis genitivum personae (semper αὐτοῖο legitur) sibi asciscat, saepius etiam nude positum reperitur, ita ut ad nullum substantivum referatur, velut *χ*, 118 al., ubi simili ratione vocab. τιτυσκόμενος verbo βάλλειν additum est. Itaque ex mea sententia praestat, in illo loco βάλεν ad κεφαλῆφιν referre et interpretari: „feriit in capite“. Κλισίηφι *N*, 168 ὅ οἱ κλισίηφι λέλειπτο ϑύρηφι (*ι*, 238; *χ*, 220. Hes. Oper. 365. et in eodem versu Hym. II. 36) cur Kruegerus pro puris ad verbiis habenda esse putaverit, ego non intelligo, quum planam speciem substantivorum exhibere videantur. Ἀγέληφι *B*, 480. locativus certo judicandus est, nec minus *Π*, 487.

Ηὕτε ταῦρον ἔπεφνε λέων ἀγέληφι μετελϑών.

quo loco ἀγέληφι melius fortasse ad ἔπεφνε refertur.

Utrum formae, quibus praepositiones ἐπί, πρός, ἐν, παρά sim. adjunctae sunt, dativi sint an potius locativi vice fungantur, ita ut praepositiones non ad casum pertinere sed solae positae esse cogitandae sint, id difficilius est ad distincte definiendum. In iis numerandae sunt, ut hoc nomine etiam ceteras declinationes hic respiciam, ἐπὶ νευρῆφι (*λ*, 607; in Iliade nonnisi ἀπό ad hanc vocem accedit), πρὸς κοτυληδονόφιν *ε*, 433. ἐπ' Ἰκριόφιν *γ*, 353 (saepius in Odyssea), παρὰ ναῦφιν *Π*, 281. *Σ*, 305. ἐπ' ἐσχαρόφιν *ε*, 59. *τ*, 389.

Pauca hujus formae adjectiva exstant *φαινομένηφι*, semper cum substantivo ἠοῖ conjunctum, et *κρατερῆφι*, addito *βίηφι*, quae duo ad locativum referri non possunt. In ἑτέρηφι (scilic. χειρί) (ter *Π*, 734. *Σ*, 477. *X*, 80.) et δεξιτερῆφι (τ, 480. Hes. Oper. 216.) sitne statuendus hic casus an instrumentalis, quum amborum significationes confluant, decerni nequit. De forma Hesiodea ἔννηφι, praepositioni ἐς juncta, quam Goettlingius χρόνον supplens genitivum esse putat, jam supra monuimus.

Declinationis secundae quamquam multa nomina in φι desinentia inveniuntur, tamen praeter *αὐτόφι* jam supra commemoratum nullum fere puram loci notionem prae se fert, nisi hoc sensu posita existimes ἐπὶ δεξιόφιν, ἀριστερόφιν *N*, 308. 309. (respond. antecedenti πῇ), quae mirum in modum a nonnullis ad sententiam confirmandam afferuntur, φι esse signum etiam accusativi. Eadem injuria *δακρυόφιν* (*P*, 696. *Ψ*, 397. *δ*, 705. ε, 152. *κ*, 248. *τ*, 472. *υ*, 349.) quoniam cum verbo *πιμπλάναι* conjungatur, pro genitivo haberi solet, quum his locis instrumentalis certo statui debeat. Notabilis est, ut hoc adiciam, accentus ratio in declinatione secunda, quippe quae apicem semper paenultimae apponat, quum in ceteris declinationibus sonus a nominativi tenore semper pendeat.

Declinationis tertiae plurimae voces generis neutrius in ος exeuntes sunt, exceptis solis *ναῦφιν* (saepe), *κοτυληδονόφιν* (ε, 433.) κράτεσφι (*K*, 156, nominativi κράς) et ἶφι (saepe), quod quin substantivi ἴς casus sit, dubitari posse vix videtur, quum Schneiderus ab antiquo quodam vocabulo ἶφις repetat. Praeter haec leguntur ὄρεσφι (*Λ*, 474. *T*, 376. *X*, 139. 189. et praepositionibus *διά* et *κατά* additis *Δ*, 452. *Λ*, 493. *K*, 185); ὄχεσφι, quod purum locativum nusquam prabet, cum praepositionibus positum saepe reperitur: *σὺν ὄχ*. *Δ*, 297. *E*, 219. *I*, 384. *M*, 119. *Π*, 811. *Ψ*, 518. *ὑπ' ὄχ* *Θ*, 41. 136.

N, 23. *Ψ*, 7. 130. *παρ' ὄχ*. *E*, 28. 794. *Θ*, 565. *M*, 91. *O*, 3. *πρόσθεν ὄχ*. *E*, 107. *Ναῦφιν* plerumque cum praepositione *παρά* legitur (*Θ*, 474. *M*, 225 al.), semel tantum *ἀπό* asciscit. (*Π*, 246). Contra uno loco (*N*, 700) pro dativo hanc formam habere, id quod fere fit, heroicae simplicitati dicendi repugnare mihi videtur. Potius, quum poeta dicit *ναῦφιν ἀμυνόμενοι*, non dativum, quae ratio est temporum posteriorum, sed locativum accipi necesse videtur, ita ut significet „apud naves se tuentes“. *Λικριφίς* *Ξ*, 463. *τ*, 451. optimo jure huc refertur, quoniam φις est eadem terminatio et φιν; in adverbium tamen prorsus abiit. Duo adverbia, quae eandem terminationem praebent et iccirco huc referri solent (veluti ab Hartungio), ab hoc loco prorsus aliena esse puto, *ἀμφίς* sive *ἀμφί* et *νόσφι*. Quamquam enim non dubium est, quin in utraque forma notio loci lateat, tamen in ambobus vocabulis aspirata φ ad stirpem vocis, non ad terminationem videtur pertinere. Et *νόσφι* quidem quominus cum Hartungio (L. c. pag. 240) a conjunctione vocabuli ἄνευ sive ἄνις et particulae φι derivatum censeamus, praeter alias caussas apostrophus (*Υ*, 7) obstat, quum, si quid video, syllaba φι vocali nunquam privetur. Id pro certo habeo, σφι radicem esse verbi, quamquam explicatio, quae quoque nomine placeat, in promptu non est. Fortasse non ineptum videatur de antiquo verbo σφίζω „findere“ cogitare, quod idem sit et σχίζω; commutatio quidem aspiratarum φ et χ etiam in aliis exemplis, ut ἔχις-ὄφις, τρύφος-τρῦχος, φάραγξ-χάραξις, invenitur. At vero, ut sic non absurde explanari possit, quid syllaba νο sibi velit, enucleare non possum, cujus ad accuratiorem definitionem Leo Meyer,[18] qui vocem ad stirpem pronominalem na referat, nihil contulit. *Ἀμφί* autem ad verbum numerale ἄμφω pertinere, per se apparet. Fortasse etiam *σφίν*, quod

---

[18] Grammat. comp. I, pag. 330.

Thierschius terminationem *φιν* continere arbitratus est, quum aeque se habeat atque adverbia duo modo annotata, non injuria hoc loco affertur. Quum forma pluralis ex *σφίσιν* ope contractionis orta esse putanda sit, iis contra locis, ubi singularem numerum notans legatur, eadem ex ratione qua *ἐμίν τίν ἵν* vocem esse formatam, jam Buttmannus vidit (Lexil. I, 60), qui etiam ejusmodi locos complures affert. Ceterum *σφίν* purus dativus est nec jam ad locativum pertinet.

Huc porro accedit *μέσφα* (*Θ*, 508) quam formam Aeolicam nostrae syllabae *φιν* aeque respondere et *θα* Jonicae *θι*, jam inde intelligi potest, quod *μέσφι* apud alios scriptores, velut Aretaeum dialecto Jonica usum, reperitur. Itaque Hartungii sententia, *μέσφα* pro *μέσα* positum, consonam *φ* autem euphoniae caussa insertam esse, rejici potest.

Quod ad tertiam terminationem *χι* attinet, exemplum unicum *ἧχι* jam commemoratum est (*Α*, 607. *Γ*, 326. *Ε*, 774. *Θ*, 14. *Λ*, 76. *γ*, 87. 292. *ζ*, 94. *τ*, 553. Arati Phaen. v. 1000). Derivatum *ᾗ* significatione locali positum saepius legitur *Κ*, 67. *Ν*, 53. 679. *Ο*, 46. al. et *ᾗπερ* *Μ*, 33. *Φ*, 4. In formula Homerica, quae saepe reperitur, *ἣ θέμις ἐστίν* quomodo relativum intelligendum sit, viri docti valde inter se dissentiunt. Venetus liber praeter locum unum *Ι*, 33. ubi *ι* additum apparet, vocabulum semper sine vocali subscripta praebet; Apollonius (Lex. Hom. 344.) *ἥ* exhibet, quod Spitznerus cum Bekkero praefert (Excurs. II), quum Wolfius Vossius Nitzschius *ᾗ* edant, Etymologicum Magnum autem doceat s. v. *ἁμαρτῇ· ἔστι δέ τινα εἰς η λήγοντα ἐπιῤῥήματα μὴ ἔχοντα τὸ ι, οἷον ἣ θέμις ἀντὶ τοῦ ὡς* etc. Lectionem grammaticorum *ᾗ* nullas quibus nitatur habere caussas, quum Buttmannus distincte dicat, tamen etiam scriptura *ἥ*, quam ille probat, quodammodo quasi artificiosior est, quam ut simplici generi dicendi Homerico conveniens judicari possit. Itaque ad tertiam sententiam, casum esse modalem

scribendumque *ἧ*, comprobandam adducimur. — Formae locali *ᾗ*, ut id jam hic attingam, *τῇ* respondet (*Ε*, 752. *Θ*, 396. aliis multis locis), quod saepius etiam motum significat, velut scholion ad *Ω*, 139. *τῇδ' εἴη* explicat: *ἀντὶ τοῦ ἐνθάδε*. Contra *τῆ*, quod paucis locis (*Ξ*, 219. *Υ*, 618. *Ω*, 287. *ι*, 347. *κ*, 287.) legitur, a radice *ΤΑ* repetere et pro imperativo habere secundum Buttmannum praestat, qui idem Franco-Gallorum „tiens" confert (l. c. I, 164).

Οὐχί (*Ο*, 716. *Π*, 762) sive aspirata cum tenui commutata *οὐκί* (*Ο*, 137) quamquam eandem syllabam in fine praebet, tamen significationem localem, si quando habuit, tam prorsus abjecit, ut attigisse sufficiat.

Sequuntur formae, quae quum antiquas easque longas terminationes jam non exhibeant, tamen sinceri locativi exempla sunt. Quo inprimis *χαμαί* pertinet, quod bis et tricies apud Homerum et Hesiodum neque raro cum notione motus positum legitur atque etiam in adjectivis *χαμαιεῦναι* *Π*, 235. *χαμαιευνάδες* *κ*, 243. *ξ*, 15. *χαμαιγενής* Hym. III, 108. inest. Cujus vocis quamquam forma principalis nusquam exstat, tamen eam in usu fuisse, ex formis quae ad nos pervenerunt *χαμάθεν* sive *χαμᾶθεν*, *χαμάδις* conici potest. Praeter Aeschyleum *πέδοι* s. *πεδοῖ* (Prometh. 272.)[19] quamquam simile substantivum, quod sui juris sit, haud facile inveniri possit, tamen in paucis compositis formae locales latent. Sic *ὁδοῖ* in *ὁδοιπορίη* Hym. II, 85. simil., sic *χοροῖ* in *χοροιτύπος* Hym. II, 31. inest[20] Quod fere accipiunt (cfr. Krueger. l. c. §. 42. 2. not. 5), vocalem *ι* nonnisi conjunctioni binorum vocabulorum inservire, ita ut huic non multum aut nihil momenti imponi debeat, id alia cum vo-

---

[19] Fortasse etiam *ἁρμοῖ* huc referri potest.

[20] Etiam *καραιβαρᾶν* (= *καρηβαρ.*) „capite laborare" huc pertinet; *κάρη* substantivum enim proprie generis feminini fuisse, docent formae *κάρης, κάρην, κάραν*. cfr. Schneider. lex. gr. s. utraque voce.

cibus ὁδός et χορός composita, quae vocalem illam aspernantur, ut ὁδόμετρος, χορομανής, χοροβατεῖν etc. videntur refutare. In omnibus ejusmodi vocabulis, ut etiam in ναυσιπόρος, ὀρειβάτης al. ι proprie locum notat ideoque supervacaneum judicari nequit. Vetustior forma ὁμοῖ fortasse in adjectivo ὁμοίιος latet, quum quidem geminationem vocalis ι metri caussa factam, id quod multi volunt, statuere vix liceat. Inter ὁμοῦ (ὁμοῖ) et ἅμα,[21] cujus propriam et antiquam formam ἅμαι apud Callimachum (Lavacr. Pallad. 75) legimus, eadem ratio intercedit, quae est inter ὑπό et ὑπαί Β, (824. saep.) et ἀπό-ἀπαί (Hes. Scut. 437. Goettling ἀπό edidit), quum in ὑπό et ἀπό ι finale abstrusum sit. Ὀψέ, antiqui nominativi ὄψος, prius in terminatione similiter et τῆλε vocalem ι praebuisse, quum ex compositis ὀψιγενής, ὀψίγαμος aliis colligi possit, tum Apollonii testimonio satis probatur, qui ὄψι Aeoles dixisse tradit (de adv. pag. 573). Ἐντός ex antiquiore forma ἔντοθι, quae exstincta nusquam jam legitur, esse repetendum ex aequali ratione, quae inter ἐκτός et ἔκτοθι est, intelligi potest, sicut ἑκάς ductum esse ab obsoleto ἕκαθι, forma quae superest ἕκαθεν docet.

Hoc loco praepositiones, quoniam omnes fere ad notionem loci pertinent, praeteriri non debent, quibus addere liceat quaedam similia adverbia, quae prius non bene afferri potuerunt. Et in α quidem desinentes praepositiones antiquitus terminationem αι exhibuisse ex pluribus hujus formae exemplis apparet, velut καταί, quod reservatum est in καταιβάτης (ν, 110) παραί (α, 361. ρ, 572. σ, 213. ω, 411. atque etiam in παραιπεπίθησιν χ, 213. παραιφάμενος Ω, 771. inest) διαί (apud Aeschylum) aliis,[22] quae omnia speciem locativi pariter et χαμαί exhibent. Ex vulgari sententia formae in α exeuntes antiquiores sunt vocalisque ι ad syllabam producendam admissa est. Eandem rationem etiam in terminatione ο statuendam esse, quum quidem antiquis formis deperditis perspicue probari non possit, tamen collata dialecto Aeolica probabile videtur. Quum enim Boeoti (cfr. supra notata) pro Jonico οι plerumque υ dicerent, inde, quod formae ἀπύ similes reperiuntur, eas quoque quae respondeant ἀποί alias usurpatas esse colligere non audacius sit, quum praesertim hae cum vocalis jam allatis ἀπαί et ὑπαί prorsus cohaereant. Opinio Hartungii, ἀπό cetera ex ἀπώ cet. correpta esse, analogiam, si quid video, similium exemplorum desiderat. — Περί, ut ad alia transeam, ex περίς in una inscriptione[22] exstante ortum est, et πέρα ex πέραι, quod nescio an in comparativo περαίτερος lateat. Ut autem περί (περίς) et πέρα (πέραι), ita se habent ἀντί et ἄντα, πάλι (πάλιν) et πάλαι, in quibus omnibus propria significatio etiamnum cognosci potest pariter et in ἀμφίς et imminuto ἀμφί „in utraque parte.“ Ἄλις (Hym. II, 170. 180. etc.) ejusdem significationis loci esse, non certo quidem dixerim, veri autem simile puto nihiloque minus αἰέν ex nominativo αἰών quamvis mira contractione ductum vocalem ι in terminatione prius habuisse, praesertim quum formae αἰίν ἀίν similes servatae sint (conferri potest Gregor. Corinth. pag. 345. squ). Forma χῶρι ex χωρίς imminuta apud Callimachum (fragm. 48.) posita legitur (cfr. Bekkeri Anecdot. gr. pag. 549. 1., 573. 3). Αὐτονυχί et αὐτονυχεί Θ, 197. et Arati Phaen. 618. codicibus exhibentur, de quo Eusthatius ad Iliad. pag. 708. 1. audiri potest, cujus verba haec sunt: τὸ „αὐτονυχεί“ ἐν τοῖς Ἀπίωνος μὲν καὶ Ἡροδώρου διὰ τοῦ ι γράφεται, ἄλλοι δὲ διὰ διφθόγγου αὐτὸ ἔγραψαν. Tertia et antiquissima forma in

[21] Literae α in ο mutatio nullius momenti est atque saepins reperitur ut in βάλλω - βολή, πάρδαλις - πόρδαλις.

[22] ἅμαι jam supra commemoratum est.

[22] Boekhii C. J. 1625. ἐν ταῖς περὶς πόλεσιν.

Anecdotis Bekkeri pag. 1319. superest *αὐτονυχίς*. *Πρὶν* cum *πάρος* cognatum videtur et fortasse in Latinorum vocabulo „pridie“ latet. *Ἀμφουδίς* (semel ρ, 237), quod interpretes vehementer vexavit, Hartungius ex *ἀμφί* et *οὖς* compositum esse egregie suspicatus est, ita ut significaret „in utraque aure,“ quae explicatio ad sensum loci aptissima est; interpretatio quidem, quam Buttmannus profert, „a terra tollens“ nullo nomine placet. Contra concedendum est, hanc syllabam finalem *δις* plerumque aut motum, velut in *ἄλλυδις, χαμάδις, οἴκαδις*, aut modum rationemque, ut in *ἐπαμοιβαδίς* (ε, 481), notare, locum significantem nusquam alibi inveniri. *Ἄχρις* sive *ἄχρι*, quod a substantivo *ἀκρός* derivatum est, notionem localem „in apice“ pluribus locis aperte exhibet, velut *Π*, 324. *Ἀπὸ δ' ὀστέον ἄχρις ἄραξεν.*

Δ, 522. *Ἀμφοτέρω δὲ τένοντε καὶ ὀστέα λᾶας ἀναιδὴς*
ἄχρις ἀπηλοίησεν.

et *P*, 599. *Γράψεν δὲ οἱ ὀστέον ἄχρις*
αἰχμὴ Πουλυδάμαντος.

Tenuis in aspiratam transitus idem est in *μέχρις* (a *μακρός* ducto), cujus significationem *ἄχρις* posterioribus temporibus sibi sumpsit, sicut jam apud Homerum σ, 370. *ἄχρι κνέφαος* speciem praepositionis exhibet.

Difficilius saepe est ad dijudicandum de adverbiis in η desinentibus, quippe quae, prout literam ι subscriptam praebent aut aspernantur, diversis casibus assignari debeant (vid. initium cap. prim.). Quum quaedam ut *πάντῃ* (dor. *παντᾷ*) *ἁμαρτῇ* alia multa vix dubitari possit, quin purum casum modalem notent, contra in nonnullis, veluti *πῇ ὅπη οὔπη ἄλλη*, magna dissensio ut quondam grammaticorum veterum sic recentium virorum doctorum est.[23] Id mihi certum videtur, non unicam for-

[23] Spitznerus semper exhibet *πῇ ὅπῃ οὔπῃ* similia „litera instructa

mam omnibus locis satisfacere, sed duo casus statuantur necesse esse; testimonia autem, quibus certo nitamur, quum non suppeditent, grammatici ipsi potius de hac re inter se discrepent, non immerito ex mea sententia scriptura illarum vocularum a solo sensu, quem singuli loci flagitent, pendere judicatur. Sic loci *N*, 307

Δευκαλίδη, πῇ τ' ἂρ μέμονας καταδῦναι ὅμιλον; et *Υ*, 25
Ἀμφοτέροισι δ' ἀρήγεθ', ὅπη νόος ἐστὶν ἑκάστου·

multum inter se differunt; illic *πῇ* locum, ubi aggredi moliantur, hic *ὅπη* modum, quo se habeat mens et voluntas singulorum, significat, ideoque, quum a vocula *ὅπη* recte ι abjudicetur, *πῇ* vocali carere videtur non posse (Wolfius vocalem semper omittit). Similia exempla sunt *B*, 339. *E*, 472. *Z*, 377. *Θ*, 94. 229. 443. et contra *Z*, 267. *Ξ*, 298. *X*, 185. *Ω*, 71. ϑ. 45. *Ἄλλῃ* sensu loci, ita ut Latinorum adverbio „alibi“ respondeat, paucis tantum locis invenitur χ, 140.

ἔνδον γὰρ οἴομαι οὐδέ πῃ (Dind. *πη*) *ἄλλῃ*
τεύχεα κατθέσθην Ὀδυσεὺς καὶ φαίδιμος υἱός.

et *N*, 49. *ἄλλῃ μὲν γὰρ ἔγωγ' οὐ οείδια χεῖρας* etc.
ceteris, ubi legitur, aut motum (*E*, 187. *Φ*, 557. al.) aut (*ἄλλη*) modum (velut *O*, 51) significat. *Κρυπταδίῃ* (*Z*, 161) ab

adverbia quum libris tum magistris optimis quibusque consentientibus“ (epist. ad Godofr. Hermannum pag. 9). Dindorfius in his adverbiis parum, nisi fallor, sibi constitit, qui quum γ, 106 *ὅπῃ ἄρξειεν Ἀχιλλεύς*, ι admiserit, contra ι, 279

Ἀλλά μοι εἴφ' ὅπῃ ἔσχες ἰὼν εὐεργέα νῆα·

in eadem adverbii significatione locali commotus nescio qua caussa vocalem omisit. Quin etiam locis inter se simillimis ξ, 517 et π, 81. φ, 342

Πέμψει δ' ὅππῃ σε κραδίη θυμός τε κελεύει,

primo vocalem ι subscripsit, ceteris omisit, quum hoc quidem nomine codices inter se saepius dissentientes dirimere nihil possint. Omnino discrimen inter ambas voculas nullum plerique interpretes statuere videntur (cfr. lexica graeca), sed omnibus locis aut vocalem patiuntur aut abiciunt.

omnibus, ut videtur, editoribus praefertur, quamquam etiam **κρυπταδίῃ** sensui convenit.

Compluribus in ει sive ι desinentibus [24] adverbiis, quae apud Homerum hic illic reperiuntur, ut ἀθεεί (σ, 353.) ἀναιμωστεί (*P*, 363. σ, 149. ω, 532) similibus quamquam eadem cum formis in ῃ exeuntibus ratio est, quae intercedit inter οι et ῳ, tamen notionem loci exhibentia nulla leguntur. Terminationem ει autem locativi fuisse, plures formae Doricae testantur, quae Ionicis in ῃ desinentibus respondent. Ita τουτεῖ s. τουτεί (si quidem ex antiqua forma ταυτεῖ profectum censemus) apud Theocritum (ν, 103) positum significatione locali reperitur atque diversis locis πεῖ, τεῖ, εἶ, αὐτεῖ exstant, quae postea in πῇ, τῇ ᾗ αὐτῇ transierunt (cfr. Apollon. l. c. pag. 542. 31. 622. 18.). Pauca quaedam in ω exeuntia ad quem nam casum proprie et principaliter referenda sint, ob duplicem eorum significationem in obscucitate quadam et dubitatione est; denotant enim et locum et modum, velut ὧδε, si quidem hoc etiam apud Homerum illam notionem continere certum est (cfr. Lehrs de stud. Arist. Hom. pag. 84. squ. Nitsch ad α, 182. — contra Buttmann. Gr. Gr. II, p. 362), et ὧ, πῶ αὐτῶ, quae tamen ab Homerico sermone aliena sunt. Contra sunt alia, ut ἄνεω, οὕτω, quae a notione loci abhorreant. Nonnulli hanc terminationem ex ῳ, abjecta vocali ι, repetere volunt eique ob hanc rem significationem proprie localem tribuunt, ut Hartungius. [25] Res facile expediri potest, si formas has omnes ita discernamus, ut, quae locum notent, eas dialecti Doricae proprias Ionicis in ου desinentibus pro cognatione vocalis ω et dipthongi

[24] Quum vocalis ι horum vocabulorum anceps sit, prout correpta aut producta apparet, ejectio aut contractio statuenda est.

[25] Hic vir doctus, qui formas longiores in ως ex terminatione ω, admissa ς, derivatas esse statuit, errore tenetur; ex πώ sim. πώς enasci non potest; πώς prius est, πώ posterius.

ου respondere, modum autem significantes, cujusmodi omnes fere Homericae sunt, ex terminatione ως imminutas esse censeamus. Ita ex his, quos ablativos proprie esse Benfey recte suspicatus videtur, se habent πώς - πώ, οὕτως - οὕτω, ἄνεως - ἄνεω, quibus nescio an adnumerari possit Pindaricum ὧτε - ὥστε (cfr. Boekh. Lect. Pind. ol. 11, 90. et alibi). Antiqui grammatici de propria horum verborum vi et natura valde inter se dissentiunt. Quum apud Apollonium (l. c. pag. 616.) legamus: τὸ ὧδε ἀπενέγκατο καὶ τὴν εἰς τόπον σχέσιν „ὧδε ἦλθεν ὁ δεῖνα“ καὶ τὴν ἐν τόπῳ κατὰ τὴν προκειμένην συμπάθειαν τὴν εἰς τόπον καὶ ἐν τόπῳ „ὧδέ σε μένω,“ contra Phavorinus pag. 395, 5. ita explicat: πῶ, ἐπίῤῥημα, ἐκ τοῦ πόθι ἀποκοπῇ καὶ ἐκτάσει πῶ, Hesychius autem, πῶ· ποῖ, ποῦ, alibi tamen πῶ· ποῦ, ὅθεν, ὁπόθεν.

Reliquum est, ut eas voces afferam, quae substantivorum aut adjectivorum naturam tuentur quaeque formam dativi, notionem autem loci praebent. Quae quum omnes illi casui adscribi soleant, tamen, num recte hoc fiat, ex iis quae capite primo disputata sunt dubitari potest. Nam quum omnino, ut repetam, significatio localis principio aliena existimanda a dativo sit atque etiam apud scriptores posterioris aetatis hoc nudo casu notata rarissime appareat (cfr. Krueger Gr. Gr. §. 46. 1. 3. 4.), jam per se conicere liceat, in antiquis carminibus epicis hanc vim localem dativi paene nullam esse; in forma autem illa, quae ad nos pervenerit, non nimium momenti et ponderis collocari debere, quoniam veteres grammatici ad sua magis tempora quam priora in textis constituendis respexerint, supra demonstrare studui. — Formae huc pertinentes breviter hic afferre liceat, quum in omnibus notio loci manifesto appareat. Sunt hae fere. Declinationis primae: Κορυφῇ ἀκροτάτῃ (*Α*, 449. *Ε*, 754. *Θ*, 3; adjectivo omisso *Ν*, 179.), μάχῃ (*Α*, 521. *Δ*, 400.), ὑσμίνῃ (*Ν*, 713.), ἀγορῇ (*Δ*, 400. *Ι*, 33. *Ο*, 283. *Σ*, 106. β, 37.)

κραδίῃ (*Ω*, 584. *υ*, 327. Hes. Theog. 623.) *κεφαλῇ* (*Π*, 800. Hes. Theog. 519. 747.), *ῥίζῃ* (*κ*, 304.) *ἐσχατιῇ* (*πολέμοιο Λ*, 524., *Γόρτυνος λ*, 294., sine genitivo *ξ*, 104. Hes. Theog. 275.) *τραπέζῃ* (*φ*, 35. *οὐδὲ τρ. γνώτην ἀλλήλων*), *βουλῇ* (*γ*, 128, quum contra in praecedente versu praepositio *ἐνί* adhibita sit), *αἴῃ* (Hes. Scut. 153.); in *νεφέλῃ κεκαλυμμένος* (saep.) sitne putandus magis locus respici an instrumentum, dubium est. Accedunt nomina urbium terrarumque *Φυλάκῃ ἐλέλειπτο Β*, 700. *Θήβῃ Ὑποπλακίῃ Ζ*, 397. *Ἄρνῃ ναιετάοντα Η*, 9. *Φρυγίῃ ναίεσκε Π*, 719. *Σχερίῃ εἷσεν ζ*, 8. *Κρήτῃ ναιετάων ρ*, 523. *Μηκώνῃ* Hes. Theog. 536. *Ἄσκρῃ* Oper. 640. nisi praepositionem *ἐνί* etiam ad nomen urbis referre mavis. — De verbis alterius declinationis cum majore quadam probabilitate judicari potest. Leguntur haec:

Δόμῳ[26] *B*, 513. *ἀγρῷ*[27] *E*, 137. *λ*, 188. *νομῷ B*, 475. *ὁδῷ I*, 626. *μυχῷ* (*I*, 663. *P*, 63. *X*, 440. *γ*, 263. 402. *δ*, 304. *ε*, 224. *ν*, 363. *ψ*, 41. *ω*, 6. Hym., 3, 264. 4, 143. Hes. Theog. 119. 1015.), *μέσσῳ Γ*, 416. *θ*, 473. *λ* 157., *ὕπνῳ Δ*, 131. *δήμῳ K*, 33. *Λ*, 58. *N*, 218. *Π*, 605. *ὤμῳ Ξ*, 376. *χορῷ Π*, 180. *οἴκῳ β*, 186. Hym., 3, 30. *κολεῷ κ*, 333. *τύμβῳ μ*, 15. *ὑπερωίῳ ο*, 517. *Ὀλύμπῳ* Hym. 1, 98. *μεγάρῳ* Hym. 3, 114. *πέδῳ* Hym. 4, 455. *κόλπῳ* Hym. 4, 231 *ἄντρῳ* Hym. 17, 6. *λόχῳ* Hes. Theog. 174. *κύκλῳ* Scut. 141. (apud prosaicos scriptores saep.) *πόντῳ-χέρσῳ Δ*, 424. 425. *θυμῷ* (sexcenties); porro complura urbium nomina *Βουπρασίῳ Ψ*, 631. *Δήλῳ ζ*, 162. *Δρακάνῳ, Ἰκάρῳ* Hym. 26. 1. Quibus in locis quum notio loci regnet quumque forma locativi propria vel in posteriorum aetatum operibus praesertim urbium

[26] *δόμοι* in usu fuisse, ex Latinorum forma locali „domi“ suspicari licet.

[27] *ἀγρόθι* apud Callim. in Cerer. 130. legitur.

nominibus affixa ut *Ἰσθμοῖ* sim. exstet, cur significatio non etiam scriptura denotetur, nulla videtur caussa esse.

Declinationis tertiae urbes et terrae nominandae sunt *Λακεδαίμονι*, *Γ*, 387. *φ*, 13. *Ἄργει Ζ*, 224. *Ξ*, 119. *δ*, 174. *Ἑλλάδι Π*, 595. Quamquam etiam haec nomina pro dativis habenda esse plurimi semper existimarunt, rectius tamen hac opinione improbata casui locativo adscribi videntur. An in Latina quidem lingua Boppii sententiam, formas „Lacedaemone,“ „Carthagine“ similes ex „Lacedaemoni,“ „Carthagini“ exortas locativum sincerum repraesentare, comprobamus, in Graeça ipsas has antiquas formas non agnoscemus? Quid tandem refert, dativum eadem vocali *ι* terminari? Addi possunt illis *ὑσμῖνι B*, 863. *Θ*, 56. *ἀγῶνι* Hes. Theog. 435. *αἰθέρι ναίων B*, 412. *Δ*, 166. *ο*, 523. Hes. Oper. 18. *λειμῶνι Π*, 151. *φ*, 49. *κρητῆρι οἶνον μίσγον Γ*, 269. *δ*, 222. *δέπᾳ κ*, 316. *πτυχί Οὐλύμποιο ἥμενος Υ*, 22. *χροί Ξ*, 456. (*I*, 596. *T*, 233. huc non pertinent), *σέλᾳ πυρὸς αἰθομένοιο Θ*, 563. *φρέατι* Hym. 4, 99. Etiam *ἦρι I*, 360. sive *ἔαρι* Hes. Oper. 462. (Bentl. *ἦρι*) et *πρωί*, quod tamen in adverbium transiit, *Θ*, 530. *Σ*, 277, fortasse huc referenda sunt. Cetera quae aut jam allata aut incerta sunt velut *νηί, χειρί* al. transeo.

Locativus pluralis tantummodo fere in vocabulis declinationis primae et secundae exstat. *Ηισι* in hisce invenitur: *Θήβῃσι Ξ*, 114. *X*, 479. *πρώτῃσι πύλῃσι Θ*, 411 *κορυφῇσι E*, 554. *Π*, 757. 824. *ῥίζῃσι I*, 542. (*M*, 314. dubie), *κλισίῃσι O*, 409. *ῥοῇσι Π*, 679. *ἀγορῇσι M*, 211; in Odyssea hic pluralis jam non apparet. Ceterum vocalis *ι* num in ejusmodi vocibus subscribenda sit, dubium est. Goettlingius formas *Ἀθήνησι, θύρασι* respiciens terminationi plurali vocalem denegat (ad Theog. v, 60.), quoniam casus signum non *ισι* sed *σι* sit. Quae sententia quamquam prorsus non perversa est, tamen contra dici potest, prius *ι*, tanquam signum plurale, ut in declina-

tione secunda sic in prima sini potuisse omninoque illas formas adeo in adverbia transiisse, ut vixdum pro dativis haberentur. — Cfr. Bergk. in praefatione ad Soph. tragoed.

Declinationis secundae formae hae sunt: *ὤμοισιν* *Α*, 45. *Γ*, 17. *Ρ*, 473. *Τ*, 11. *Ἀργείοισι* *Β*, 215. *Κυθήροισι* *Ο*, 432. *Πυλίοισι* *ο*, 227. *ἀνθρώποισι* Theog. 569. („ι hoc casce dictum pro *ἐν ἀνθρώποις*“ Goettl.), *σταθμοῖσι*, Hym., 3. 76. 79. *δαπέδοισι* Hym., 1. 416. *τοῖσιν δ' Ἀτρείδης μεγάλ' εὔχετο* *Γ*, 275. *Η*. 136, *ἵπποισι* *Ο*, 679. Formae in *οις* imminutae, quae locum notent, nusquam inveniuntur.

Declinatio ultima haec vocabula exhibet: *οὔρεσι* *Μ*, 132. *Ν*, 471. *Ο*, 606. *Π*, 483. Hym., 3. 18. Hes. Theog. 1001. Oper. 232. *ὄρεσι* Hym., 2. 33. *φρεσί* *Ν*, 609. Hym., 2, 460. 3, 290. Hes. Scut., 30. 34. 96. notio loci clare apparet *η*, 219 *ὡς καὶ ἐγὼ πένθος μὲν ἔχω φρεσί*, quum versus praecedat ..... *καὶ ἐνὶ φρεσὶ πένθος ἔχοντα*· adde *νέεσσι* *Ο*, 409. *κεύθεσι* Hes. Theog. 334.

Quas tamen omnes formas plurales nonnisi allatas volo; certi in his nihil est.

VITA.

Natus sum ego Edmund Theodorus Schneidewind Sangerhusae die vicesimo septimo m. Decembris a. h. s. XXXIX patre Carolo Friderico Schneidewind, regii judicii membro, matre Luisa e gente Oberlaenderiana, quos adhuc vivos esse valde laetor. Fidem profiteor evangelicam. Receptus in societatem gymnasii Nordhusani, quod auspiciis Schirlitzii floret, quum omnibus, quae in scholae usu sunt, disciplinis operam darem, tum maximo semper amore studia philologica amplexus sum. Auctumno a. LVIII. quum maturitatem meam habere existimarer, adii, ut studium philologiae exercerem, universitatem Berolinensem, ex qua quominus satis fructus perciperem duo obstabant, primum quod officium debitum exsecuturus nomen militiae dedi, deinde quod in morbum diuturnum incidi. Ruperto-Carolina per semestre frequentata postquam Gottingae scholis Sauppii Curtii Lotzii aliorum per annum interfui, Berolinum redii, ut Boekhium Hauptium Trendelenburgium Droysenum iterum audirem. Quadriennio academico peracto in Universitate Litteraria Fridericiana Halensi cum Vitebergensi consociata summos in philosophia honores rite adeptus sum.

THESES CONTROVERSAE.

I.

Tibull. I, 10, 5. defendo Dissenii conjecturam a t.

II.

Ibid. II, 6, 45. sensus flagitat conjecturam olim factam n e c a t.

III.

Sophocl. Oed. tyr. 1505. conicio

μὴ παρά σφ᾽ ἴδῃς.

IV.

Sophocl. Oed. Col. 1712. legendum videtur

οὐδ᾽ ἔχω,
πῶς με χρὴ τὸ σὸν τάλαιναν
ἀφανίσαι τοσόνδ᾽ ἄχος. τ ο ῦ
μ ὲ ν γᾶς ἐπὶ ξένας θανεῖν ἔχρῃζες, ἀλλ᾽ etc.